


NUMMUS HONORARIUS

GRATITUDINIS TESTANDÆ

GRATIA CUSUS A GENUENSIBUS ANDREÆ AURIÆ:

Caroli V. Imperatoris Archithalassi : posteaquam à
Francisco Galliarum Rege defecisset.

Anno Christi 1528.



T sub finem Anni 1528. graviter Regem Galliaë Franciscum primum liberorum status affecerat: quos in Hispaniam miserat obsides, & infeliciter gestum bellum per Italiam, amisso exercitu atque Imperatore Lautrecho: sic non minus eum conturbabat Andreæ Auriaë Genuatis, rei maritimæ scientiâ clarissimi Ducis, à se ad Cæsarem defectio.

Causa defectionis fuisse traditur: quod, cum Andreas per Philippum Auriam præstantissimos Cæsaris Duces Alphonsum Vastium Marchionem, & Ascanium Columnam in navali pugna quadam cepisset, captos verò petenti Regi sistere noller, Rex indignatus verbis minacibus animi sui exacerbationem abunde ostenderit: eoque Auriam adegerit, ut Vastio & Columnâ liberè dimissis, per Antonium Levam Cæsaris amicitiam aucuparetur. Receptus ad res agendas confestim animum convertit, ejectoque Barbessio rei maritimæ præfecto, Genuâ & arce potitus, Gallos mox Savonâ expulit. Alij hanc defectionis causam adferunt: quod, cum vidisset patriæ libertatem in summo discrimine versari, quotidieque contra illum nova & insolita Gallos, in maximum urbis detrimentum, moliri, sibi que à Barbessio insidias strui: per motum rebus hisce patriæ libertatem vindicasse, regique ordinis sui torquem aureum (quo antea ab illo donatus fuerat) remisisse, ipsiusque insignia, quæ in navibus erecta habuerat, delevisse: Cæsaris amicitiam sibi magis, quam Galliaë regis profuturam autumans. In cuius rei & vindicatæ libertatis memoriam populus Genuensis Colossum ex marmore præaltum, cum hac inscriptione ipsi erexerat: ANDREÆ AURIÆ CIVI OPT. FELICIS SQUE VINDICI ATQUE AUTHORI PUBLICÆ LIBERTATIS, SENATUS POPULUSQUE GENAVENSIS POSUIT. Labet hic addere Jani Vitalis de re eadem versus haud invenustos: